

- 1271 sub primum appulsum Bononienses in ulteriore ripa castellum munientes conspicati, confestim & ipsi ad Divum Albertum præsidium sibi militari opere firmant. Nec multos post dies ad conatus hostium inhibendos Tepulus Dux cum maritimis copiis affuit. Hic & alibi est cruento Marte sapius pugnatum: fueruntque Bononienses præliis fere omnibus superiores, quippe qui multitudine hominum longe præstabant. Ad quadraginta hominum millia in eorum castris fuisse proditum est: atque ex ea terra, quam partim Boi Galli tenuissent (genus hominum ferocissimum, ac pene indomitum) partim Senones, qui urbem Romam aliquot menses captam tenere: tota deinde regio Flaminia dicta: novissime vero *Ramaniola*; unde suspicari possis, non omnino nunc terram ipsam diversos ab illis quos olim tulisset, viros alere: sed ferocis & ingentis spiritus, ac brevi tales, ut non frustra sit dictum: Rufum capillum in Italo homine, in Theutonico nigrum, utrumque vero
- 1272 in Romaniolo, pervicaciam arguere. In tertium itaque annum laboriosissimum bellum protractum. Novissime Marci Gradonici auspiciis in aciem totis viribus est descensum. Eo prælio victor Venetus hostem ingenti strage fudit fugavitque. Qua adversa pugna Bononienses fracti, pacem his conditionibus acceperunt: ut suo diruto ad Primarium castello, quarundam rerum asportatione permessa, libera Padis ostia Venetis relinquerent. Anconitani & ipsi Bononien-
Ur & cum Anconitanis
 sium exemplo non nihil movere ausi, ad Gregorium Decimum, Romanum Pontificem, Venetorum injuriam questum miserunt. Monuit Pontifex Venetos, ut Anconitanis mare aperirent. Ii neque iussa facere, neque omnino negligere, sed per legatos, ne contra patrium morem Pontificem aspernati viderentur, alia atque alia causari: Anconitanos, dicere, parum ingenue fecisse, qui Veneti populi famam maledictis & sordida delatione ad Pontificem lacerassent: nec ea, quæ ipsi quererentur, vera esse. Hæc & alia Venetis subjicientibus, actio paulatim antiquata est. Sed tantum absuit, ut Pontifex eo nomine Venetos aliquo modo suspectos habuerit, ut induciæ, quæ Cremonæ paucis